



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

DECAS VI.

51. Avarus nemini utilis est, sibi ipsi nocivus: aliis non tribuit quidquam, sibi ipsi detrahit omnia, sui ipsius poena, & calamitas. Vitam ducit egentis, nunquam visus habuisse aliquid nisi cum cessat habere. Eò nempe redigitur, ut nequeat benefacere, nisi moriendo; fidelissimus hæredi, & amantior quàm sui. Quàm simulatè tunc plangitur ab iis, quibus vivus noluit prodesse!

52. Utì liberali semper suppetit titulus dandi, quod petitur; ita avaro nunquam deest ratio negandi. Avarus non gaudet de auro, quod possidet; liberali etiam fructificat, quod alienat. Ille mancipium est ejus, quod habet; iste Dominus etiam illius, quod non habet.

53. Qui nescit opibus dominari: facit ut opes dominantur ipsi. Aurum sapientum est, insipientes sunt auri. Illius solet opulentia abuti, qui nescierit opulentiam uti.

54. Livor in hoc perniciosus est, quòd gaudeat de alienis malis absque proprio bono, in hoc perversus, quod bona aliena vertat in propria mala. Infelix vitium!

quod non torquetur ſolùm à malo quod ſentit, ſed & à bono, quod videt. Sufficiunt mala vitæ hujus, ut quis indè reddatur miſer; quod ſi etiam bona in id concurrant, bis miſeri ſumus.

55. Aptè quidam invidiam æquiparavit coti, ad quam linguæ acuantur. Verùm calumnia invidentis commendatio eſt, dum quaſi cogitur de bono proloqui malè, innuens virtutem dum arrodit. Bonitatis encomium eſt ab invido taxari, vituperium foret commendari.

56. Faciliùs tuleris invidum, quàm adulatorum: ille peior eſt contagioſo, aut, uti quidam, dæmoniaco. Undique Livor malitiam contrahit, ſeu pœna ſit, ſeu culpa. Culpa illius eſt peccatum infame, pœna inſolita crudelitas.

57. Rarum monſtrum invidia! inſuſta ſimul, & juſtiſſima. Quæ enim inſuſticia major, quàm offendi alterius virtute? ſentire malè quòd alius agat bene? At contra, quod vitium majori juſtitiâ caſtigat ſe amantem, ac livor, torquens aſſidue quem occupârit?

58. Idem amor eſt Adulatoris in hominem.

nem, qui lupi in ovem. Uterque amat, ut prædam capiat, non ut obsequium præstet. Adulator est hostis occultus, quem nemo melius noverit, ac avarus. Parum est mendacem esse, jure dixero traditorem; dum pessimo officio fungitur obtentu optimi & per speciem amoris nocet damno hostilitatis.

59. Tritum adagium est, mendacia carere pedibus: ego dixerim, mendacia alis abundare, mendacem verò pedibus destitui. Illa enim celeri volatu se ubique diffundunt, hunc autem facile deprehendas, nervis quasi contractis ubique claudicantem.

60. Nulla eloquentia efficacior, ac illa, quam necessitas docuerit. Illa tropos suggerit & figuras, illa rationes subministrat, ut persuadeat. Nullo tamen ex fonte fortius argumentum duxeris, quàm à Veritate: indè solum intellectus convincitur, indè Ratio sustentatur. Verùm cruda Veritas ægre transmittitur, intrita sit, cocta sit, ut digeri possit.

DECAS VII.

61. Quisquis amat, tendit in bonum.

D6

Quid